



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationum// Roberti Bel-//larmini Politiani,// Societatis
lesv// De Controversiis// Christianae Fidei, Adver-//sus
huius temporis Haereticos,// Tomus ...**

De Sacramento Evcharistiæ - Sex Libris Explicata


Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1589]

VD16 B 1603

Cap. I. Ponitur controuersia; An Missa sit propitiatorium sacrificium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54113)



LIBER SEXTVS DE EVCHARISTIA,

QVI EST SECVNDVS DE SACRIFICIO MISSÆ.

CAPVT PRIMVM.

Ponitur controuersia; An Missa sit propitiatorium sacrificium.

EXPEDITA PRIMARIA CONTROUERSIA, sequuntur aliæ multò quidem, & breues, & faciliores, sed tamen in quibus magis quam in prima, cum aduersariis cõueniunt. Est igitur SECUNDA cõtrouersia; Quod sacrificium Missa sit, Eucharisticum tantum, & honorarium, an etiam propitiatorium, & impetratorium. Nam vt in principio libri superioris explicatum est, tria genera sacrificiorum; seu potius quatuor, cum postremum tribus in duo genera diuidatur. VNVM est, quod in Scriptura dicitur holocaustum, quod etiam *λατρευτικόν*, & honorarium dici potest, cuius finis est solus Dei cultus, atque honor. ALTERVM dicitur in Scriptura sacrificiũ pro peccato, quod etiam propitiatoriũ appellatur: cuius finis est præter Deum, propitiatio irati Dei, & peccatorũ remissio. TERTIVM in Scriptura nominatur pacificum, & hoc est duplex, alterum Eucharisticum, id est, oblatum ad agendas gratias pro beneficio accepto, alterum quod communi vocabulo impetratorium dici potest, cuius finis est impetratio beneficij.

Aduersarij faciliè concedunt Missam esse sacrificiũ *εὐχαριστικόν*, & *λατρευτικόν*, nõ quidem quod uelut sacrificium propriè dictum, sed impropriè, & largo modo.

suprà demonstratum est. Nam ipsa Eucharistia distributio & manducatio, ad honorem Dei fit, & in gratiarum actionem pro beneficio accepto passionis Christi: ista enim conuenire possent Eucharistia, etiam si non esset aliud, nisi Sacramentum. At esse propitiatorium, & impetratorium, præsertim aliis, quàm ipsis sumentibus, nulla ratione admittunt, nec possunt admittere, nisi fateantur Eucharistiam nõ solùm esse Sacramentum, sed etiam sacrificium propriè dictum: non enim Sacramenta profunt aliis, quàm sumentibus. Vide Lutherum in lib. de captiuit. Babyl. cap. I. Apologiam Confess. Augustanae, in art. de Missa. Confess. V. Vittembergensem, cap. 16. quod est de Eucharistia. Calvinum lib. 4. Instit. cap. 18. §. 13. 14. 15. & 16. & Kemnitium in 2. parte Exam. Trident. Concil. sess. 22. cap. de Missa.

Contrarium docet, ac docuit semper Catholica Christi Ecclesia; & Synodus TRIDENTINA, vt rem totam penitus declararet, sess. 22. can. 2. apertè docuit, sacrificium Missæ non solùm propitiatorium esse pro pœnis, sed etiam pro culpis, nec solùm pro culpis leuibus, sed etiam pro grauibus, atque adedò mortalibus: id enim significat, cum ait: *Crimina, & peccata, etiam ingentia dimittit.* Præterea non solùm impetratorium esse spiritualium beneficiorum, sed etiam temporalium, & ideo offerri posse pro peccatis, pro pœnis, & pro quibuscunq; aliis necessitatibus. Quam sententiam, vt ordine defendamus, & explicemus, probabimus PRIMVM, sacrificium Missæ propitiatorium esse. SECUNDO, esse impetratorium. TERTIO, ostendemus vtrumque illi conuenire ex opere operato, & breuiter explicabimus, quæ sit propria efficientia sacrificij. QUARTO, soluemus obiectiones hæreticorum.

CAPVT SECVNDVM.

Probatnr sacrificium Missæ propitiatorium esse.

HIC TERTIO sacrificium MISSÆ propitiatorium esse probatur. PRIMVM, testimoniis veteris Testamenti. Scriptura enim Testamenti veteris apertè docet, fuisse in lege naturæ, & Moysis sacrificia propitiatoria. Nam Iob capite primo legimus sanctum Iob, qui